



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Specvlvm Iuuentvtis, Sive Insigniores Pveritiæ Atqve Adolescentiæ Sanctorvm**

**Bosendorf, Hermann**

**Monasterii VWestphalorvm, 1615**

Disibodus Episcopus 8. Iulij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42900**

bus capitis eum sententia damnauit. Cum autem Martyr ad vltimi certaminis locum peruenisset, impetrato orandi spatio, ardentissimas multis cum lachrymis pro omnium salute preces fudit, & cunctis, qui sui post transitum memoriam cum pietate agerent, opportunum in quauis necessitate Dei auxilium postulauit. Hæc orantem vox cælitus delapsa confirmauit, certioremq; reddidit, cuncta ad eius petitionem esse perficienda. Hanc ut audijt vocem, alacer statim ceruicem licitori prebuit, atq; ictum gladij hilari vultu excepit.

**DE VITA S. DISIBODI EPISCOPI ET**

*Confessoris per B. Hildegarden Abbatisam*

*Bingensem conscripta 8. Iulij Sur.*

*Tom. 4.*

**D**ilectus Deo Disibodus ab ipsa infantia sua ad instar beatorum Nicolai & Benedicti ac similibus gratia Spiritus sancti perfusus, ad bona omnia, quæ vel vidisset vel audiuisset magno cordis desiderio aspirabat. Eiusdemque gratiæ cælestis præsidij ita à teneris vnguiculis vsq; ad decrepitam ætatem, vitæ integritatem coluit, vt neq; pueritia ipsius improbis ludis & leuitatibus dedita, nec iuuentus libidini obnoxia, nec confirmata ætas ad deteriora fuerit intenta. Adeo enim pōpam omnem & mundi huius fastum animo corporeq; calcavit, vt quibusdā stultus, nonnullis vanus, alijs errori obnoxius, plerisq; vero etiam admiranda

*Virginea  
castrata.*



mirabilis ea de causa in factis suis videretur. Huius parentes præclaris in Hibernia orti natalibus, cum tyrānidem quorundam detestati, solum verrissent, & procul patria vnà cum Disibodo filio habitaret, liberalibus eum disciplinis imbuendum religiosi viris cōmendarunt: & acri illius ingenio feliciq; ad discendum industria delectati, molestiam exilij sobolis suæ ingenuitate leuabant. Porro Disibodus in dies proficiens & tum ætate tum sanctitate crescens, à studio literarū ad studium bonorum operum progrediebatur, & precibus ac eleemosynis vacabat. Quicquid vero de Deo auditione accipere, aut discendo cōsequi poterat, id multa auiditate complectebatur. Denique per gradus virtutum & ætatis incrementa singulis initiatus sacris ordinibus cum trigessimū ageret annum presbyter ordinatus est. Quam ille dignitatem tantis virtutum ornamentis decorauit, vt eius regionis Antistite feliciter demortuo, inuitus atq; reluctans ad Episcopalem dignitatem raperetur.

*studium bonorum operum.*

MARTYRIVM SS. FELICITATIS ET septem filiorum eius 10. Iulij Sur. Tom. 4.

CVM Antonini Imperatoris tempore, Cingens sacrificulorum exorta seditio Christianam religionem interneccione penitus delendam esse conclamaret, Felicitas illustri admodum genere matrona, inter alios omnes fidei cultores tanto pietatis virtutumq;

V 4 omni.